

custodiunt, seq. ejus nomine supponunt, ut eam conservent à commercio tot importunè amantium, sempiterno tempore intactam. Vanitas, fraus, dolus, sophisticatio, cupiditas, falsitas, confidentia, mendacium, stultitia, paupertas, desperatio, fuga, proscriptio, & mendacitas pedissequæ sunt Chymia, quæ Dominam simulantes, ut eam inviolatam custodiant, semetipsas amatoribus pecuniosis, avaris, cupidis, & fastuosis libenter prostituunt. Chymia aliis est cauta meretrix, quæ invitat inultos quidem, paucos interim admittit. Illa nobis Metamorphosis in præsens est electa, quæ metalla ignobiliora in nobiliora mediaq; mutat; Chrysopœjam singulatim non hic profiteamur, memores istius moniti, suggesti à Poëta:

Sumite materiem, vestris, qui scribitis, equam viribus.
Nec nostrâ refert, undecunq; Alchymia dicta fuerit? Παρά τὸ ἄλλο (ἀλλὸς) καὶ χέσθη, à sale scil. fundendo & coqvendo, ut existimat Libavius, cum Gvid. Pancirol. lib. I. Epist. Chym. 6. vel τὸ τῶ χυμῶ, à sacco ignibus, aut menstruis extracto; juxta Beguin. Tyroc. Chym. vel à Chamo, filio Noachi improbo, Ægyptiorum Arabum conditore ac doctore. Quicquid sit; articulus Arabicam si non originem, significationem arguit. Sic Alcoran, Almanach, Almagest, Alkali, Alkabol, Allahâ dicuntur, per particulam demonstrativam Al. Qui plura volet, adeat Libavium part. I. Comment. Alchym. l. 1. Kircher. Tom. Mund. Subt. 1. Sect. 1. & 4. cap. 1. & 2. conferatur, idem Tom. Oedip. Ægypt. 2. & in Obelisco Pamphylia. Quæ si quis tamen monumenta Viri conferat, pugnancia quandoq; deprehendat; cum jam albo Alchimi- am, atro alibi signaverit lapillo. Chimiater extitit felicior, quàm Criticus, D. Leonhardus Thurneisserus, dum in Præfat. lib. 1. Alchym. magnæ fol. 1. asserit, ab Alcimo, quasi Alchimi- am dictam. Denn (verba ejus refero) אלקימוס sey nach denen